

## AUCTUARIUM.

## CONCIO I.

## DIES JUDICII DIES CHRISTI.

I. Quia dies ostensionis gloriæ ejus. — II. Quia dies summi imperii ejus. — III. Quia dies erit messis ejus. — IV. Quia dies rationum et solationis ejus.

## THEMA.

*Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate, Luc. XXI.*

Dies hodierna prima est Adventus; quæ licet nos disponat ad primum Christi adventum cum fructu suscipiendum, ingerit tamen memoriam secundi, quem expectamus; ut patet ex Evangelio. Magna et miranda dies illa, quæ peculiari ratione *Dies Christi et dies Domini* appellatur. Ita enim Sophonias cap. I. ait: *Juxta est dies Domini*. Et Paulus II. Cor. III. *Dies Domini declarabit*. Et ad Philip. I. *Silis sinceri usque in diem Christi*. Et S. Petrus epist. II. c. III. *Dies Domini sicut fur veniet*. Quid vero? Nonne omnes dies Domini et Christi sunt? Sunt equidem; sed dies illa venturi ad judicium Christi, singulari ratione ipsius est; uti nunc audiemus.

I. Quia dies erit ostensionis gloriæ ejus, juxta hodiernum Evangelium: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate*, quasi diceret: jam quidem humilis et inglorius inter vos appareo, sine majestate, satellitio, pompa, etc. quia primo debui venire humilis. Sed quam humilis veni primo, tam gloriosus veniam secundo adventu, ubi velut sponsus procedam de thalamo in decore meo. Quemadmodum enim Esther habuit duplices dies: *Dies silentii*, quibus domi quievit, seque in humili vestitu occullavit, et *Dies ostentationis suæ*, quibus cum magna gloria et apparatu regio processit: (ut habetur cap. XIV. v. XVI) ita Christus habuit *Diem silentii*, in primo suo adventu, habetque etiam nunc, dum nobis gloriam suam tacitus occultat: in extremo vero judicio habebit *Diem ostentationis suæ*, ad confundendos eos, qui ipsius humilitati propter nos susceptæ detraxerunt, Galilæum, fabrum et fabri filium, hominemque ignotum appellarunt. Quis autem eam gloriam explicare queat? Plane sicut nemo in lumen solis intendere aciem oculorum potest ob fulgoris excessum: Ita *Quis poterit cogitare diem adventus ejus, aut quis stabit ad videndum eum?* Ait Malachias cap. III. Ipso enim præsentente *Erubescet luna et confundetur sol, cum re-*

*gnaverit Dominus exercituum*, ait Isaias c. XXIII. Sed qua ratione? Ait enim cap. XXX, idem Propheta fore tunc lucem lunæ sicut lucem solis, et lumen solis septuplo majus? Nimirum uti glossa interlinearis respondet: etsi tanta sit futura lux istorum luminantium, nihilominus tamen ea respectu splendoris Christi nihil erit et abscondet se sicut stellæ adventante sole. Ita enim S. Chrysostomus in cap. XXIV. Matth. *Sol, ait, obtenebrabitur, non quia destruetur, sed quia luce illius adventus superabitur*. Magna fuit gloria Christi Domini in transfiguratione, quando vultus ejus splenduit ut sol, vestes sicut nix; ita ut ea visa discipuli corruerunt, Petrus extra se raperetur, eaque sola contentus mundi oblivisceretur. Et tamen illa non nisi specimen quoddam unius dotis, scilicet claritatis, fuit in parvo monte, coram paucis, brevi durans. Quid erit ejus gloria in judicio coram toto mundo, omnium dotium unione stabilis? Itaque gloria illa respectu futuræ hujus, quasi nihil fuit, quod in ejus typo, Josue, præfiguratum. Hunc enim varie quidem Deus glorificarat: in victoria contra Amalec, Exodi XVII. in exploratione terræ sanctæ, Numer. XIV. dando ei partem gloriæ Moysis, Num. XXVII. Attamen, quando is Jordanem transire, et populum introducere in terram promissionis debebat, ait ei Dominus: *Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel*, Jos. III. quasi diceret, gloria prior nihil fuit respectu istius. Sic ergo et Deus Pater, licet in baptismo et in monte Thabor glorificavit Filium suum, et per alia miracula in terris degentem, maxime in cruce inter tot tantaque prodigia morientem, a mortuis resurgentem, et in cælos ascendentem: illa tamen gloria quasi nihil erat respectu futuræ, cum qua in die judicii introducet Christus electos suos in cælum. De qua duplici gloria cælestis ejus Pater videtur locutus Joan. XII. intonans e cælo: *Et clarificavi, et iterum clarificabo*. Consistit vero ea clarificatio in corporis splendore, in throno nubis et Angelorum inferiorum assistentia, in voce tubæ, in summo imperio ad cogendos et subjiciendos sibi homines et Angelos, etc. In primo adventu Christi videbatur ejus dignitas plane absorpta ab humanitate, adeo erat obscura: in secundo vero ejus humanitas videtur absorpta a divinitate ejus, ita ut non jam Filius hominis, ut antea, sed similis tantum Filio hominis appellari queat, uti Apoc.

XIV. c. XIV. appellatur, quando Joanni apparuit velut judex venturus, habens *In capite suo coronam auream, et in manu falcem acutam*, quemadmodum observat ibi abbas Joachimus.

II. Quia dies erit summi ejus imperii, quo supremam in omnes creaturas jurisdictionem obtinebit; ita ut omnia ad nutum ejus fiant, nemo contraire queat. Tametsi enim hic suam voluntatem fieri jubet, quæ dicitur *Voluntas signi* in præceptis ejus contenta; ea tamen a quam plurimis non adimpletur. Ibi absolute fiet, quidquid fieri jusserit, quæ dicitur *Voluntas beneplaciti*. Tempus præsentis sæculi, nostrum videtur esse potius quam Dei quia in eo agimus, quod volumus. Unde ad Jerosolymam Dominus ait: *Et quidem in hac die tua*, Luc. XIX. et ad cohortem in Oliveto: *Hæc est hora vestra*, Luc. XXII., qua permisit se ligari et illudi. Sed veniet aliquando etiam dies Christi, qua et ipse aget, quo volet, omniaque ejus nutu stare compellentur. Olim penes victores, qui Romæ triumphabant, eo die summa imperii erat. In die judicii veniet Christus sedens supra nubem, quasi in triumphali curru; et tunc ostendet se totius orbis imperatorem. Quando Deus, ut supra vidimus, Josuen per Jordanem in terram promissam inducere voluit, dicens: *Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel*; Jos. III. ubi Josue pedem in aquis posuit, divisus est Jordanis; et pars sinistra aquarum de fluxit in mare mortuum, pars autem dextra stetit, et exaltata est instar montis. Jordanis *Fluvius judicii* exponitur. Eum ita dividet in illa die Christus ut impii descendant in oreum; pii ad cælum exaltentur. Et hoc aget gladio oris sui pronuntiando sententiam in bonos et malos. Typus hujus summi et absoluti imperii fuit Adam in paradiso, quando omnia animantia ad eum adducta fuerunt; ubi ut Moses Barcephas scribit, sedens in alto throno, splendente facie, vocavit ea ad se, et singulis juxta proprietates eorum nomina imposuit: illaque demisso capite imperatori suo se submiserunt et ad nutum ipsius, quo jussit, abierunt: *Omne quod vocavit Adam, anima viventis, hoc est nomen ejus*, dicitur Gen. II. Non dissimili imperio ad Christum adducuntur omnes homines in judicio. Et quale nomen cuique, quale sententiam, quale locum dederit, hæc ei manebunt. Ipsi etiam tunc omne genuflectetur cælestium, terrestrium et inferorum. Sæpius ut dixi, Christus a Patre glorificatus fuit, sed non tam pleno, universali et manifesto imperio. Aliis diebus, quibus imperator Romanorum prodit, comitantur eum aulici in curribus et equis, sed in die Paschæ solus equitat Viennæ ad templum S. Stephani, omnes ejus aulici pedibus incedunt, eum comitantes. Multi nunc sceptræ gerunt et sub Christo regnant: sed

ibi omnes omnia ad ejus pedes abjiciunt: omnes ante eum prostrati jacebunt: solus ipse eminebit in summo tribunali, velut unicus imperator totius mundi.

III. Quia dies erit messis, qua fructum laborum et meritorum suorum plene et copiose metet et congregabit in horreum suum; quod facturum se prædixit Matth. XIII. *In tempore messis dicam messoribus: triticum congregale in horreum meum*. Idem vidit Joannes Apocalypsis XIV. Similem scilicet Filio hominis sedentem supra nubem, habentem falcem in manu sua acutam, ad quem Angelus velut sanctorum legatus clamat: *Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora qua metatur, quoniam aruit messis terræ*. Ut ergo dies messis; agricolarum dies sunt, quibus laborum suorum mercedem capiunt; sic judicii dies erit Christi. Ideo in hodierno Evangelio appellatur *Æstas*. Tunc enim metet primo plenam et uberrimam corporis et animæ suæ gloriam, cum ea omnium oculis spectanda et collaudanda proponetur, ita ut oculis nostris eam conspecturi simus, auribus nostris audiri, etc.

Secundo, cum approbata et laudata tota ejus vita vindicabitur ab injuriis acceptis, et restituetur ei honor ablatu ab impiis, maxime Judæis et gentilibus; quo modo restitutus fuit Joseph, cum e carcere diuturno, in quem innocens missus erat, extractus et currui regio impositus fuit.

Tertio, cum metet ingentes cumulos sanctorum suorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, viduarum, conjugatorum.

Quarto, cum eorumdem injurias vindicabit, et debitum eis honorem, necnon eorum sanguinem requiret. Exponit agricola per decursum anni multas pecunias in servos et ancillas, in currus et aratra: in reparaciones ædificiorum, in agrorum et vinearum cultum, in annum censum et operas: sudat, laborat, cæli injurias sustinet et fert patienter: quia expectat tempus messis, in quo recuperabit omnia, quæ impendit, cum multiplici fenore. Pari modo Christus usque ad diem judicii expendit in nos merita passionis et laborum suorum, dat gratiam et beneficia, patitur ingratitudinem et injurias nostras, expectat nos ad penitentiam; ibi demum metet fructum laborum suorum. Hinc Joannis XII. postquam de grano frumenti (hoc est, de seipso) prius seminando et in agro (montis Calvariarum) mortificando, postea in messe multum fructum allaturo, proposuisset parabolam ad extremum subjeit: *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Exaltatus primo in cruce, deinde in cælo, ut exponit S. Chrysostomus: denique in die judicii supra

montem Oliveti, ubi plenissime omnia ad se trahet veluti messem suam.

IV. Quia dies solutionis et rationum exigendarum. Contingit non raro cauponi ut hospites in domo sua tumultuantes, diu noctuque potitantes et epulantes, saltantes, cantantes, litigantes, rixantes, omnia denique rursus deorsum mittentes tolerare debeat, et quidem per aliquot dies usque dum saturi omnes, discesserint: ad postremum vero et ipse cum rationibus suis prodit, et stricte illis computat, quidquid non solum absumpserunt, sed etiam fregerunt aut conspurcarunt. Similiter in scholis sæpius Magistri dissimulant ad tempus discipulorum petulantiam, negligentiam, loquacitatem, oblocutiones, etc. at finito anno suum obtinet tempus, cum ab ascensu eos reprobant vel a sperato præmio. Caphres in Monomotapa sic venantur elephantibus: observant in primis tempus, quando in campos egrediuntur, et in iis libere vagantur; deinde exeunt non minus centum quinquaginta venatum. Eorum pars notos angustiis calles in silvis insident, pars per campos palatim elephantorum greges abigunt, compelluntque in incessas a sociis angustias. Quas cum intrare vasta mole belluæ non nisi singulæ possint, ubi intrarunt ex insidiis coorti venatores validis ictibus aliorum alii prætereuntium poplites cædunt, statimque vel post paulum prægravante etiam corpore prolapsos conficiunt. Refert Franc. Sacchinus tom. II. Annal. soc. I. 4. n. 220. Similes his elephantibus sunt filii hujus sæculi et amatores mundi, qui dicunt: « Venite fruamur bonis, quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguento nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum sit pratium, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum expers sit luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors. Opprimamus pauperem justum, et non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis, etc. Hæc cogitaverunt et erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei. » Sap. II. Quænam illa sacramenta? Græce *Serena Dei*, scilicet judicia quibus expectat eos ad diem suum, diem ultionis, quo belluas, coget intrare per angustias mortis ad iudicium, ubi eos feriet gladio oris sui, et velut in macello pro meritis conficiet. Habent illi hic diem suum, quemadmodum Judæi tempore Christi quos deploravit Christus illis verbis: *Si cognovisses et tu! Et quidem in hac die tua, qui ad pacem tibi.* Luc. XIX. Verum venit aliquando dies Christi, de quo Jer. XII. dicitur: *Congrega eos (impios) quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die*

*occisionis* hoc est, constitue diem justitiæ tuæ, in quo eos velut victimam occidas.

Itaque diem illum Domini præ oculis habeamus: nec attendamus ad dies nostros, sed cum eodem Jeremia cap. XVII. dicamus: *Diem hominis non desideravi, tu scis.*

## CONCIO II.

JUDICII DIES OPTABILIS ELECTIS.

I. Ob conspectum Christi. — II. Ob publicam gloriam suam. — III. Ob resumpti corporis gloriam.

### THEMA.

*Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, Luc. XXI.*

Prophetæ Jeremiæ cap. XXIV, ostendit Deus in visione quadam duos calathos ficuum, in uno malas valde, in altero bonas valde. Significabant autem duos Hebræorum populos, optimos et pessimos: illos sub rege Joachim Dei mandato morigeros; hos vero sub Sedecia rebelles et immorigeros: illos optime, hos pessime habendos, illos servandos, hos excidendos. Audimus hodie Christum comparantem diem iudicii ficui: idem audivimus ante octo dies. Ibi deprehendimus ficus malas valde, impios videlicet, qui in iudicio gravate admodum comparebunt. Hodie reperimus ficus bonas valde, electos scilicet qui omnino et summo desiderio comparare volent. De his ergo nunc dicendum, et causæ exponendæ, cur iudicii diem in optatis habeant.

I. Ob conspectum Christi. Quantum enim abhorrent inimici Christi, tantum eum desiderant amici ejus. Ex parabola decem virginum scimus Christum venturum ad iudicium tamquam sponsum, ut omnes PP. ad litteram exponunt, sed quantum electos concernit. Nam reprobus venit ut exactor talentorum, quod sequenti parabola Dominus exposuit. Jam vero S. Joan. Bapt. Jo. III. tale de Christo fert testimonium: *Amicus sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.* Si hoc Joan. de Christo sponso, cum adhuc in forma servi et mortali corpore, pauper et abjectus in mundo vixit, adeoque sponsalia sua solum celebravit; quid dicendum, cum nuptias suas celebraturus est? Quanto gaudio exultabunt amici ejus, cum eum cernent oculis suis prodeuntem in decore suo velut sponsum de thalamo suo?

Ergo primo gaudebunt, quia stant coram sponso et vident eum coram se in gloria sua. Sane Christus cum adhuc sub forma servi in mundo degeret, omnibus illis, qui odio et invidia excæcati non erant, totus supra modum amabilis et desiderabilis erat, qui speciosus forma, sermone mire gratiosus, moribus humanissimus ideo

turba ei affixa erat. Ideo Luc. IV. *Detinebant illum*: ideo Marci I. dicitur: *Quia omnes quaerunt te.* Sancta Birgitta in tribus locis testatur eos dixisse: *Eamus ad Filium Mariæ, ut tantisper consolemur.* Gentiles ipsi desiderabant, et instabant, ut eum videre possent. Joan. XII. Dæmoniæ ille a legione obsessus, post liberationem *Cæpit illum deprecari, ut esset cum illo* ait Marcus cap. V. Sed cur hoc? Quid enim scivit prius de Christo, qui a Dæmone vexatus, semper in sepulchris hæsit? Nimirum advertit vel ex aspectu, affatu et moribus Christi quam bonum et suave esset adhærere isti Domino: oblitus patriam, domum, adhærere voluit Christo, quem prius nunquam viderat; tametsi pauperem esse, videre facile poterat.

Jam si tunc adhuc in carne tam humili forma incederet, tam amabilis erat, quid erit, cum procedet cum majestate et gloria sua? Joannes certe, ubi vidit eum in carne mortali, gavisus est; (quin etiam præ gaudio in utero matris ad præsentiam ejus, nondum visi, exultavit) aitque insuper suum gaudium impletum esse, quasi diceret: desideravit eum videre Abraham, Jacob, prophetæ et reges: nemo tamen illorum vidit eum, scilicet ut ego; quid erit obsecro videre venientem in majestate regni sui tamquam sponsum ornatum in decore suo? Petrus in monte Thabor vidit quidem ejus gloriam, sed quasi per rimam solum, obiter et brevicule nec tamen sibi, quam nobis, ut testis ejus fieret. At ibi permanenter et indesinenter videbunt eum electi, et sibi, non aliis, de quo exultabat Job, cum dixit c. XIX. *In carne mea videbo Deum salvatorem meum*: Græce, *Ego mihi videbo Deum.*

Secundo, deinde propter vocem sponsi, aut Joannis. Sane tunc Christus, nondum suavia omnino et jucunda loquebatur, sed pœnitentiam promulgabat: peccata increpabat, iudicium inculcabat, infernum minabatur. Et tamen Joannes gaudio gaudet propter illam vocem. S. Petrus discedere non vult dicens: *Quo ibimus?* Verba vitæ æternæ habes. At in die illo nuptiarum nihil triste suis amicis loquetur, sed omnia festiva. Quænam vero illa? Imprimis quicumque eum confessus fuerit coram hominibus, illum vicissim confitebitur coram toto mundo. Demonstrabit enim illi obsequia sibi et servis suis præstita, et magnifice extollet, sicut vestem sancti Martini mendico donatam. Et quod de sancto Martino dixit, qui leprosum veste sua involutum gestavit in domum suam (erat autem Christus) *Tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super celos*, teste sancto Greg. hom. XXXIX. in Evang. Ex actis Apost. c. IX. scimus quanta cum gloria Tabithæ ostenderit Petro pauperes et plorantes viduæ tunicas et

vestes, quas eis Tabitha fecerat. Quid erit, cum ipse Christus talia ostendet toti mundo dicens: *Nudus fui et operuistis me, etc.* Hoc nimirum erit bonum illud vinum, quod sponsus ille distulit ad finem convivii, Joan. II. *Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.* Mundus hic bonum vinum propinat, laudat, blanditur: sed ibi dabit acidum, vituperabit, accusabit. Male igitur sibi consulunt, qui hic modicæ remunerationis et vanæ laudis vinum sibi propinatum bibunt, quia per hoc meliore illo et quidem optimo se privant.

II. Ob publicam gloriam, quam coram mundo accipient, qui hic viles et despecti fuerunt habiti. Magna imprimis gloria est, quando quis prius obscurus et contemptus ex humili loco ob merita sua in altum evehitur, veluti cum Josephus e carcere exemptus, et currui regio impositus atque undique circumductus, regio annulo insignitus et *Salvator mundi* dictus est, ob saluberrimum, quod dedit regi, consilium, Gen. XLI. Similiter quando Cælestinus V. prius Petrus de Norone appellatus, ex eremitorio suo extractus a cardinalibus (qui per viginti tres dies consultantes de Pontifice eligendo neminem tandem digniorem illo repperunt) in Papam electus fuit. Ad hujus enim tam inexpectatam inaugurationem dicuntur convenisse Romam ducenta millia hominum; duoque reges, Hungarus et Siculus, ipsum asello vectum in Urbem conduxisse ingenti pompa et omnium applausu. Platina et Surius in ejus vita. Quid erit cum justii protrahentur in publicum et totius mundi conspectum, qui hic velut in antris obscuri latuerunt? Evehentur in thronum gloriæ, qui in sterquilinio sederunt cum dicitur illis: *Amice ascende superius: tunc erit illis gloria coram simul discumbentibus*, Lucæ XIV. Quam ob causam aliqui rem intelligentes, qui in hoc mundo exaltati fuerunt, in mortis articulo doluerunt, quod non fuerint in hoc sæculo omnium infimi: uti Henricus card. ex ord. Cisterc. assumptus, vir pius, qui dicebat moriens: *Utinam in vitulario meo (monasterio suo scilicet) inter fratres semper scutellas abluissem!* Fascic. Cisterc. SS. p. I. f. 377. Cardinalis Alexandrinus, Pii V. nepos, qui dicebat animam agens: *Mallem me tota vita servisse coquo monasterii mei, quam cardinalatam egisse*, Corn. in c. III. Apoc. Atque hæc causa est, cur Christus adeo sæpe et serio jubeat nos occultare opera nostra, nec mercedem ullam recipere: invitare ad prandium eos, qui non habent retribuere nobis: *Retribuatur enim tibi, ait, in resurrectione justorum, cum ingenti scilicet lucro et fœnore.* Hic laudaris coram uno aut altero, ibi laudaberis coram celo et terra. Hic recipis obolum, ibi recipies talentum.